



# **Exedræ Ecclesiasticæ Sive Concionvm Moraliũ ... t. ...**

In Dominicas totius anni

**Schrötter, Johann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1687**

XVII. In Domin. III. Quadragesimæ. Si in Ditio Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei. Luc. 11. Arg. Exorcismus Dæmonum.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56286](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56286)

CONCIO XVII.  
 IN DOMINICA III. QUADRAG.  
 Si in digito Dei eiicio dæmonia, profectó  
 pervenit in vos regnum Dei.

LUC. 11.

ARGUMENTUM.  
 EXORCISMUS DÆMONUM.

I. Am non unum draconi se-  
 pticipiti caput contritum.  
 Jam non unò quà in cælis,  
 quà in terris prostratus est  
 ariete. Aud. Inibi ut caput  
 abominandum extulit superbiæ, di-  
 cens: *Similis ero Altissimo*, in tantum al-  
 luvione armorum cælestis militiæ Prin-  
 cipis obrutus, enervatus, ac protritum  
 est, ut & campo, & regno illo excedere  
 fuerit compulsus. *Factum est prælium*  
*magnum in celo; Michaël & Angeli eius*  
*preliabantur cum Dracone, & Draco*  
*pugnabat, & Angeli eius, & non præva-*  
*luerunt, neque locus inventus eorum am-*  
*plius in celo.*

*Demon sa-  
 pte victus.*

*Apoc. 12.  
 v. 7, 8.*

Hic in terris redintegraturus vires,  
 ac imperium, adscitis in societatem ar-  
 morum rebellibus creaturis, recentem,

nec minus formidandam meditabatur  
 Bellonam. Et ecce rursus brachio Al-  
 tissimi in tantum coërcitus, ut capistra-  
 tus adlatrare possit; admordere, nisi  
 volentem, non possit. *In hoc enim*, (at-  
 testatur Cancellarius Verbi æterni)  
*apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera dia-*  
*boli; ut officias ejus detegat, annihilat,*  
 & ipsum validissima crucis suæ arma-  
 tura elidat.

Nondum tamen hisce cladibus ab  
 integro fractus, insolescit, ac loricatur  
 etiamnum; copias cogit, & educit, so-  
 cios lustrat, & armat; tot dæmonio-  
 rum, quot peccatorum. Omne enim  
 scelus fœtus fœdi parentis est, & nec  
 nomen, nec genus ab eo degeneri nixu  
 mutat. Quid statuam? Quid agam?  
 In certamen brachia laxem? succumbo.

Gigas

*1. Ioan. 3.  
 v. 8.*

Gigas est, quem nec ipse David fundâ suâ prosternat. Hydra, cui capita omnia, nec Hercules domitor monstrorum demetat, & adurat. Leo, cujus ad rugitum vel ipsi invicti percelluntur Samsones. Dem manum? Impotentem Dominatum ejus non feram, Pharaonem omnem exuperat, dum & Nilo abyssi damnationis demergit, & clibano incendii gehennalis excruciat. Atat assurgam animis, nec tam umbone fragilitatis meæ, quam Ægide Divinitatis munitus obviam procedam. Novi mihi potestatem in eum cœlitus collatam: *Dedit eis potestatem super omnia dæmonia.* Audio itidem in digito Dei (quod est Verbum ipsius) hac luce fulminatos. Utar ergo & potestate, & digito Verbi illius; eumque, quâ exorcismis laceffere, quâ sacro anathemate ferire tantabo.

Luc. 9. 2.

## NARRATIO ET PARTITIO.

II. **N**E Andabatarum ritu hastam torquere videar, statuendum mihi imprimis est, quot, & quinam sint fulminati Lemures illi, qui ut plurimum hæc tempestate non tam in poris corporum, quam animorum toris lasciviunt, & efferantur.

Pelbarius.

Specula Exemplorum perhibent, à sacro quopiam Incantatore eos in energumeno adjuratos ad evulgandum nomen suum, ac numerum, enuntiasse, Triumviros se esse, & Camerarios, seu Claudiorum de stirpe universos. Quæ ratione urget Exorcista? Ego, inquit primus, sum *Claudens Bursam*; ut fraudulenter congregent, nec unquam

obulum pro anima sua elargiantur. Alter subjecit, ego sum *claudens os*, ne quando scelera sua exomologesi ritè expient. Tertius conclusit, *ego claudens cor*, ne unquam integrè Deo, aut veritati pateat.

Dæmonii  
triplex.

Expendenti mihi hodiernum Evangelium, totidem omninò, gemellosque eorum fratres obversari video. Audio enim ex iis unum esse Principem nomine Beelzebub: *Si in Beelzebub principe dæmoniorum ejicio dæmonia.* Alterum mutum: *Erat Jesus ejiciens dæmonium, & illud erat mutum.* Tertium immundum. *Cum immundus spiritus exiverit ab homine.* Et hi omnes nomine duntaxat à prioribus discrepant, re ipsa iidem sunt, & jure fulminandi.

Luc. 11.

## §. I.

Exorcismus in Dæmonium  
Avaritia.

III. **E**T enim imprimis Beelzebub perbelle nobis adumbrat, & præsefert *claudentem Bursam*, id est avaritiam. Ille princeps dæmoniorum dicitur, & hæc Caput peccatorum: *Radix*, (inquit Doctor Gentium) *omnium malorum est cupiditas.* Ducit illa sub labaro suo fraudes, rapinas, injurias, perjuriam, furta, sacrilegia; ancillatur illi superbia, sui indulgentia, luxus, simonia; Ambiunt latus ejus impietas in Deum, ac parentes; inhumanitas in fratres, & amicos; crudelitas in viduas, & pupillos. Nam ut S. Augustinus eam graphicè depingit: *Nec timet Deum, nec hominem reveretur; nec patri parcat, nec*

Avaritia  
vitiū  
capitale.1. Tim. 6.  
10.Aug. ser. de  
v. r. Dom.  
ma-

*matrem cognoscit, nec fratri obtemperat, nec amico fidem servat, viduam opprimit, pupillum invadit, liberos in servitium revocat, testimonium falsum profert, &c. Radix omnium malorum est cupiditas.*

*Divitia  
musca.*

Dicitur vero Princeps hinc nomine proprio Beelzebub, id est, *Vir, seu Dominus muscarum*. Et est appolita Euclionum nomenclatura. Nummos enim Saturnali verbo à S. Patre Seraphico haud absone muscas indigitatos accipio. Vel quod illarum instar sanguinem aliorum, imò & proprium exugant; vel quod ex rebus scèdissimis identidem procreentur; vel quod illarum instar molestæ sint, & millies ex intimo mentis conclavi expulsæ ad vexandum, & pungendum remigrent. O si referare cujuspian mentis cameram fas esset, quot inibi muscas? quot cynipes, quot cicindelas deprehenderemus?

*Avaritia  
vitium  
abjectiorum.*

Nuncupatur, ut dixi, *Dominus seu possessor muscarum*, non Aquilarum. Non enim sublimes, & excelsas mentes malus hic Genius occupat, sed abjectas, quæ perinde ac muscæ stercoreibus, ulceribusque; ita ipsi divitiis incubant. Omnia enim excelsus animus arbitratur ut stercorea; sordentque terrena illi omnia, cum cælum aspicit.

*Avaritia  
idolorum  
servitium.  
Eph. 5. 5.*

Erat verò Beelzebub idolum Accaron, ab iis summo in honore habitum. Et quid quæso aliud avaritia, quam *Idolorum servitium* Apostolo teste. Colebant illi argenteum, aut aurum simulachrum, devenerantur isti, basiantque argentum, & aurum iconæ cujuspian

principis insignitum. Et quidem eâ veneratione, & cultu; ut ceu rem sacram attingere vereantur; & vel in extrema necessitate expendere, aut erogare expalleant.

Placabatur itidem hostiis, & sanguine præfatum idolum; sed & Mammoni non una litatur hostia, seu anima. Huic sese Judas proditor, laqueum iaserendo in arbore consecravit; huic Achan devovit lapidibus subinde obrutus; Huic Jezabel Nabothi vineam despolians, & eapropter à canibus discerpta; huic Dalila, huic Saphyra maledictionis fulmine percussa; huic innumeri alii cum corpore, & anima se consecrarunt.

IV. Te itaque ô Beelzebub, te claudo Bursam te dæmonium mutum, surdumque ad exaudiendas miserorum voces, cujuscunque pectus obsides, (sive hinc præsentium, quod non arbitror; sive absentium) adjuro, & obrestor; ut ex eas, & recedas ab hoc plasmate Dei, in quodcunque per omne nefas impotente tua tyrannide debaccharis. Imperat ipse tibi, ad cujus iussa tremunt Olympus, & Lymbus, & Orcus. Ipse tibi imperat, cui nutat genu cælestium, terrestrium, & internorum. Audi ab eo fulmen damnationis tuæ per Habacuc Vatem intentatum: *Væ, qui multiplicat non sua; usquequò aggravat contra se densum lutum? Væ tibi, qui cum peccati pondere terrena lucra cumulas, & te iis, quasi denso luto coangustas; quoniam difficulter inde pedes affectuum tuorum extrahes, ad cælestia eos elaturus, aut directurus. Væ tibi, quoniam & amaris, ut lutò inquinaberis,*

*Diaboli  
avaritiam  
excitamus.*

*Dira in  
avaros.  
Hab. 2.*

ris,

ris, & possessis oneraberis, & amissis cruciaberis. Væ tibi, siquidem tam parùm tibi proderunt in districto iudicii die divitiæ tuæ, atque lutum, quod in semitis pedibus teritur.

*Hab. 2. 9.* Audi eundem in tonantem in sequentibus: *Væ qui congregat avaritiam malam domui suæ, (id est exitialem) ut sit in excelsis nidus ejus, & liberari se putat de manu mali; lapis, qui in pariete est, clamabit, & lignum, quod inter juncturas est adificiorum, respondebit.* Nempe, ego sum pecuniis iniquè partis empta; ego sum ab illo aut illo pupillo perperam vendicata; ego ab hoc avarissimo, & scelestissimo habitata. Vindica, Vindica Domine.

*Isa. 5. 8.* Audi aliud fulguritum vibratum per os Isaia: *Væ, qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis. Numquid vos soli habitabitis in medio terra, quibus cor inferni justo Dei iudicio destinatum? Quid tum proderit vobis cum aliis insipientibus superbia vestra, & divitiarum jactantia quid conferet? Transibunt omnia tanquam umbra; nec in hoc, nec in altero mundo ingluviem vestram expletura.*

*Sap. 5.* Audi itidem tubam Apostolicam insonantem ad Ephesios: *Hoc autem scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus (quod est idolorum servitus) non habet hereditatem in regno Christi & Dei.* Incidunt, enim isti, in tentationem, & in laqueum Diaboli, & desideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt hominem in interitum, & perditionem.

*1. Tim. 6. 7.* Audi demum vocem ipsius venturi iudicis, supra te indolentis: *O quam*

*difficile est divitem intrare in regnum caelorum.* Audi, perhorresce hæc fulmina, recognosce sententiam tuam; da honorem Deo vivo & vero, & exitutum sub pœna detrusionis in abyssum, demersionis in stagnum sulphuris, in locam tormentorum divitis epulonis, ac impiissimi proditoris Judæ Ischariothis. Ut video nihil hic ultra malus genius oblatrat, excessit, evasit, erupit. Verto me ad alterum.

## S. II.

*Exorcismus Dæmonis muti.*

*V.* **A**lter, inquit, ego sum qui *Clau-*  
*doos*, ne forsitan confiteantur scelus suum. Hoc planè est dæmonium hodiernum mutum, & ipsum virulentissimum. Cerberum mutum, & elinguem dixeris, qui eò dentem figit nocentiùs, quò minus latratu præcavet viatorem; aut Hecubam magis formidandam, quò tenaciùs taciturnam. Tum enim imprimis aconita apparet, cum linguæ ferias indicit, & mentum suspendit vaccinum. Tum viro imprimis cavenda, cum labia admordet indignabunda. Hac quippe de causa Sathanas Sigalionem ementitur, quatenus eò latius diffundat toxica, quò occultius. Cum enim unicum ad se exturbandum ostium confessionis prævideat, illud mordicus observat, & obserat, ne tam facile clavi pœnitentiæ referetur. Cæteroqui ad scommata evomenda, ad detractiones, ad blasphemias ingeminandas, os latissimè dehiscit.

*Dæmonis muti malignitas.*

T Etiam

Etiam cum sacram ad exhomologesim accedendum est, facundissimus est. Tum enim peccatori vel maxime insurrat, & obstrepit: Tune illi cuculo crimen istud propalabis, illi inquam inquilino urbis, & domus tuæ. Heu quam purpuram indues, ubi vel ille te, vel tu illum conspexeris. Nonne identidem tibi, quantumvis tacitus, occinet *Kuku*, tune es illa avicula? Tune virgo, tune sanctulus ille, quem rebar, &c. In Confessione verò multis fauces tam nefarie oppilat; ut vel veneni virorem omnino egurgitare non sinat, aut si scelus unum pandat, aliud celet, minuat, decoloret.

*Reticentia  
in confes-  
sione ful-  
minata.*

VI. Et te ego mute spiritus in cuiuscunque præcordiis latitas, in cuius lingua sessitas, cuius os obstruis, adjuro per eum, qui dedit potestatem ligandi, atque solvendi hominibus; qui unico verbulo *epheta*, surdum & mutum reddidit auritum, & eloquentem; qui te cum aliis ex aliis, tum ex hodierno Energumeno proturbavit: Da glorium Deo, expedi linguam, & meru umbra-tili exime.

Væ tibi, quia non secus atque Cain, (qui peccatum suum coram Deo instar Confessarii se tunc habentis confiteri noluit) damnaberis. Quemadmodum ille vagabundus, ac trepidus oberrabat; ita & tu quoquò te vertes conscientiam, ceu vindicem Furiam circumferes. Lancinabit illa tere, quoad ad tenebras adducat sempiternas: vermemque nunquam intermoriturum sentias. *Væ tibi, quiarevelabit Dominus pudenda in facie tua, & ostendet gentibus ignominiam.* Quæ in præ-

*Nab. 3. 5.*

senti coram uno homine collactaneo tuo confiteri refugis, ea, in districto iudicii die, inspectante orbe universo propalabuntur. Væ tibi, quia nunc sententiam Sacerdotis pro tua salute decernentis audire detrectas, audire cogèris tonitruum illud in caput tuum à justo iudice fulminandum. *Itemaledicti in ignem æternum.* Væ tibi, quia qui nunc minimam expalles subire pœnitentiam, æternam sustinere cogèris lanienam.

Quocirca ô miser peccator, hinc dum vacat, huic Sathanæ abrenuntia, illius offucias expende, & unà mecum anathematiza. Cogita, an non multò melior sit amaritudo exigua in faucibus, quam æternum tormentum in visceribus? Nonne præstat hinc ablui gutta lachrymarum; quam inibi demergi in stagnum inextinguibilem flammae. Nonne præstat nunc coram uno homine tui simili & æquè peccatis obnoxio ruborem tolerare; quam coram orbe universo suffundi? Hoc terrenum tribunal ambit gratia, stipat misericordia, coronat gloria. Ambit gratia; quia non ut reum damnandum, sed ut filium suscipit ad patrem revertentem, stolâ innocentiae exornat, annulo dilectionis consignat. Stipat misericordia; quoniam nihil superest in illo novissimo iudicio fulminandum; quod in hoc humili confessione fuerit purgatum. Coronat gloria; si enim fateris, à servitute peccati absolveris, in album filiorum adoptaris, misericordia, & miserationibus compleberis.

*Confessio-  
nis com-  
moda.*

At verò tremendum illud Dei viventis Tribunal totum quantum exasperatum

*Psal. 106. v. 41.* raturum erit irā, justitiā, vindictā, in peccatores. Tunc enim effunder omnem iram suam, & furor iræ suæ comprehender eos. *Tunc omnis iniquitas oppilabit os suum;* & ut in hac mortalitate fauces illis præcluserat, ne illam expjarent; ita in die rationis, ne excusationem prætexere queant, est oppilatum, &c.

Tu verò mute spiritus adjuratus, & exorcisatus per virtutem sanctæ Crucis, quā elisus, & proffigatus es, per illius virtutem, qui dedit potestatem in te hominibus, per sanctissimum Nomen JESU, dulce, & amabile hominibus, tibi autem omni fulmine horribilius; extemplò te proripas à famulis Dei vivi; quatenus dum aures ad audiendum arrectæ, dum ostia gratiæ referata, linguam ad seriam confessionem expediant, toxicum expuant; Deum, ac Dominum suum laudent, ac glorificent.

## §. III.

*Exorcismus Immundi.*

VIII. Tertium dæmonium Etymologiam sui nominis derivabat à corde. *Claudo cor,* ne fortè Deo pareret.

*Luxuria vitium capitale.* Hoc insistendo hodierno Evangelio, arbitror esse immundum. Hoc enim imprimis assumit septem spiritus nequiores se; nempe spiritum veneficiorum, ut philtra, & amatoria pocula propinet. Spiritum invidiæ, quatenus rivalem suum, odiò, ac livore prosequatur, illiusque vitæ struat insidias;

spiritum prodigalitatē, quo suā, ad evincendum amorem dilectæ dilapidet; spiritum superbiæ, ut sese exornet supra statum suum, ac conditionem; spiritum furti, ut deficientibus mediis propriis, aliena surripiat; spiritum turpiloquii, & canticorum indecentium; spiritum denique imprecationum, votis omnibus in spumam abeuntibus.

Vel certè spiritus immundus fornicationum trahit secum septem nequiores; videlicet spiritum adulterii, sacrilegii, incestus, stupri, raptus, sodomia, bestialitatis.

Hoc iridem claudit cor, siquidem habitat ibi, ut vix ullis machinis sese moveri, ac proffigari sinit. *Non dabunt,* ait de iis Oseas, *cogitationes suas ad Deum, quia spiritus fornicationis in medio eorum.* O quàm ægrè convertuntur, quibus hic spiritus dominatur! Samson ut vidit, flagrare cœpit; sed amare tum primùm dedit, cum Samsonem exiit. Salomonis lapsum scimus, pœnitentiam ignoramus. Davidem quàm citò hic spiritus invasit? Vidit, & arsit. Ut verò evigilaret, Prophetæ monendus erat oraculo, ut ipsum subinde extingueret, pectus suum eluvione lachrymarum oppressit. Plorabat ipse, ne ille rideret; volubatur in cinere, ut illum ambureret. *Non dabunt cogitationes,* &c. Ignis hic est, qui eliquat aurum, & argentum, sed lutum magis magisque indurat. Hirci hic sanguis est, qui vel adamantes virtutum infringit. Phœnix est, qui vel in cineribus vivit. *Non dabunt,* &c.

Descripsit Propheta Isaias vastationem Babylonis, & solitudinem,

T 2 quam

quam solæ feræ animantes habitaturæ erant. Nihilominus in tantis ruinis voluptas vivebat; nec Sirenes abesse poterant à deletæ urbis parietinis. *Et accubabunt ibi Sirenes. Et Sirenes in delubris voluptatis.*

*Luxuria  
etiam se-  
nibus in-  
hæret.  
Greg. M.  
in Dial.*

Gregorius Magnus de quodam Sene agente animam scribit, quòd cum ad ipsum accessisset anus, visura, an exspirasset, illam intermortuis vocibus abegit, clamitans non interiisse adhuc fomitem carnis, spiritu deficiente. Sibi timuit ab anu senex jamjam moriturus. Enimverò non ausim illum ridere, mirari malo. Nam excisa, funditusque eversa Babylone, non fugatam voluptatem video, sed Sirenes audio canentes in tanto luctu, solaque conspicio superesse delubra Voluptatis, collapsis dirutisque cæteris ædificiis. Quomodo in vegeto corpore debacchabitur voluptas, quæ nec à labante, nec à lapso quidem abest. Canit in mærore, filebit in epulis. *Ab! Non dabunt cogitationes suas ad Deum, quia spiritus fornicationum in medio eorum est.* Nunquam aut rarò à calice Babylonis labia revelluntur. Rarò profligatur Luxuria, si semel ossibus hæserit.

In hodierno Evangelio domum suam immundam cor appellat, ex quo exterminatus exulabat. *Revertar in domum meam;* tanquam etiamnum sui juris esset; vel certè jus protomisios (ut vocant) ad illud occupandum haberet. Quia nimirum citò recurrit experta voluptas, nec plenè vincimus, si semel libidini succubimus. Nullorum scelerum

tam tenax est occupatì aliquando cordis, ac luxuria. Nec humanam infirmitatem quidquam potentiùs sternit, quàm familiaritas Veneris, & assuetudo dulcis illecebræ.

VIII. Verùm te quoque præfractè, ac obstinatissime immunde spiritus haud fallat, impendere Rhadamantheum iudicium, manere te pœnas tantò acerbiores; quantò te præstiteris pervicaciorum. *Cor enim durum malè habebit in novissimo.* Cor immundum in peccatis obstinatum, cum semper cumulet peccata, eò quòd conlectaneum est pœnas pœnis, secundùm duritiem, & impœnitentiam suam thesaurizat sibi iram in die iræ. *Væ,* inquit Dominus per Amos Propheten; *qui dormitis in lectis eburneis, & lascivitis in stratis vestris.* Alia lectio habet: *Væ vobis, qui in decore estis, vos distenditis in stratis vestris lascivi & libidinosi.*

Væ iterum vobis, inclamat Angelus Apocalypticus, *quia pars vestra erit in stagno ardenti igne & sulphure.* Paradysus voluptatis refingetur vobis in Sodomam & Gomorrhiam pœnalitatis. Omnia flumina deliciarum intrant in mare amaritudinum, & omnis delectatio doloribus terminatur. Væ vobis, tertio inculcat idem, *quia quantum quis in deliciis fuit, tantum dabitur illi tormentum, & luctus.* Ex gutta mellis generabuntur flumina fellis. Væ, quia si in hoc sæculo ob luxuriam Numen Orbem cataclysmo involvit; si Sodomam & Gomorrhiam in perpetuum extinxit; si Zambri Principem cum viginti quatuor millibus ob id scelus Dominus

*Libidinis  
Supplicia.*

*Eccli. 3.27*

*Amos 6.4*

*Apoc. 21.8*

*Apoc. 18.7*

minus jugulare præcepit; si alii gravissimè puniti, quid non fiet in altera vita, in qua non tantoperè forum obtinet misericordia, quàm justitia?

Eph. 5. 5.

Væ tandem vobis, quia qui paradysum hîc obscœnitatis quæsivistis in terris, veræ ac indeficientis voluptatis, nunquam possidebitis in cælis.

Gravissimâ id emphasi inculcat ore Dominico ad Ephesios scribens sanctus Paulus, dum dicit: *Hoc enim scitote, intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus, non habet hereditatem in regno Christi & Dei.* Scitote, ait, intelligentes; id est, diligenter incumbite ad id sciendum quod dico. Quid autem dicis, sancte Paulus, quem excludis à parte regni Dei, & Christi JESU? Num parricidam? aut perjurum? aut Apostatam? *Omnis fornicator, & immundus non habet hereditatem in regno Dei, & Christi.* Scipio est fractus super eos, conclamata eorum salus: *Omnis fornicator, &c.* Quòd si impudicos excludit à regno, corruptores virginum, Gomorrhæos incestuosos patietur? Hos, inquit, gehennæ mancipio, sed non solos; flammæ reos etiam fornicarios, atque imundos pronuntio. *Omnis fornicator, &c.*

Exorcism<sup>9</sup>  
immundi.

XV. Quamobrem adjuro te, & anathematizo in nomine sanctissimæ, & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti, cede, erumpe a-  
cturum. Cede, inquam, iu ultimas Orbis plagas, abscondere in intimis marmorum fibris, demergere in profundum abyssi magnæ. Collige illi-

co vasa tua, & corda omnium credentium evacua. Id tibi imperat Omnipotentia Patris, qui finxit sigillatim corda eorum: id tibi imperat Sapientia Filii, quæ impendio sanguinis sui pretiosissimi illa redemit: id tibi imperat Bonitas Spiritus sancti, quæ eadem sacris lymphis sanctificavit, exornavitque. Imperat tibi JESUS Nazareus, Rex Judæorum, cujus brachiis confixus es stipiti, cujus potentiâ, ceu fulgur de cælo decidisti, cujus decreto sempiternis involutus es incendiis. Cede, cede, difficile est tibi citra stimulum calcitrare. Cede, ne perviciâ tuâ gravioribus te obnoxium reddas tormentis. Cede, pave-  
sce, contremisce.

Quid agitur? ceditne? Nullum ad fulmina indicium exitus deprehendo. Unde istud? Non alitunde, quàm quòd tu miser arctissimè confœderatus sis Erebo. Non aliunde, quàm quòd perversa tua voluntate eidem conjugatus.

Peccator  
confœde-  
ratus dia-  
bolo.

Parum dixi, tu ipse peccator immunde membrum illius es, frater ipsius, & hostis JESU CHRISTI. *Qui non est mecum, inquit ille, contra me est, & qui non colligit mecum, disperdit.* Tu ipse demonium hoc in sinu tuo foves, & ne fulminibus meis percellatur, inhibes.

Luc. 11.  
v. 23.

X. Te itaque adjuro, & anathematizo, respisce miser dum tempus est. Redi, ac revertere ad Dominum Deum tuum. Redi, *antequam contenebrescat, & antequam offendant pedes tui ad montes caliginosos, & Miserere anima tua placens Deo.* Nunc te monet, & rogat

Adhorta-  
tio pecca-  
toris ad re-  
suscendū.  
Jer. 13. 16.  
Eccli. 30.  
v. 24.

Deus tuus, ut à peccatis lethali-  
bus animam revoces. Audi nunc illum, dum  
rogat, ne postea non audiat ille, cum  
judicat. Nunc ille causam tuam his  
verbis apud te agit, & à te non potest  
impetrare quod petit; quomodo te  
audiet in die novissimo supplican-  
tem?

*Eccli. 5. 8.* *Miserere anima tua placens Deo. Et,  
Ne tardes converti ad Dominum, & ne  
differas de die in diem, subito enim veniet  
ira illius, & in tempore vindictæ disper-  
det te.* Ignoras quàm multi sicut Core,  
Dathan, & Abyron in mediis peccatis

*Rom. 2. 4.* *absorpti sunt? An divitias bonitatis  
ejus, & patientia, & longanimitatis con-  
temnis? Ignoras, quoniam benignitas  
Dei te ad pœnitentiam adducit? An alius  
tibi Orcus, & inferi condendi sunt,*

*quorum ardoribus liquecas? An alter  
paradysus plantandus, cujus amoribus  
capiaris? An reparanda series repara-  
tionis tuæ; & recentia salutis remedia  
effingenda? An nondum satis à Filio  
Dei, tuo Assertore sudatum, ut exiret  
rubigo ex te? An verò quod è vestigio  
te tellus non absorbeat post scelus pa-  
rratum, te impunitum fore, & nunquam  
multandum ominaberis? Latet nimi-  
rum, quòd Benignitas Dei te ad pœni-  
tentiam adducit, quòd infinita longa-*

*Procrasti-  
natio ca-  
venda.*

nimitate præstoletur emendationem  
tuam, ne anima tua ad imaginem ipsius  
condita, tandem malè dispareat. Quia  
non vult mortem peccatoris, sed ut ma-  
gis convertatur, & vivat. Vide igitur ô  
profligatissime peccator, ne *thesaurizes  
tibi iram in die ira* secundum duritiam  
tuam. Vide ne loco thesauri merito-  
rum, ac charismatum cœlestium accu-  
mules tibi supplicia æterna. Vide ne  
in tempore vindictæ disperdat te, &  
ponat partem tuam cum hypocritis, &  
homicidis. Vide ne tandem fessus tot  
clamoribus te deserat, & in extremis  
clamantem non exaudiat. Vide & per-  
pende hæc dum tempus est, & si vel gut-  
ta boni sanguinis in te est, contremisce,  
& liquece.

Tu interim benignissime Redem-  
ptor, quod fulminibus meis virtutis  
decedit, omnipotente tuo digito sup-  
ple. Tu sacratissimo sanguine tuo in-  
duratissima præcordia irriga. Tu vali-  
dissimo SS. Crucis ariete eò usque tun-  
de, quoad tandem pressa ingemiscere  
cogantur. Ah JESU, ah JESU, ah Jesu  
parce, ignosce, miserere. Miserere ô  
Jesu mi, ô JESU Salvator. Hoc vo-  
tum meum. Amen.

